Neapolitana, seù Prouinciæ Terræ Laboris Electionis.

Stantibus &c.

Dub: *An Capitulum Prouinciale celebratum sub die 11. Aprilis 1704 substineatur.*

Et quatenus negatiuè.

An electio facta per Patrem Generalem Prouincialis aliorumque Officialium vigore prætensi Iuris deuoluti, ac in vim Sententiæ super nullitate Capituli ab eodem Generali prolata substineatur.

Et quatenus affirmatiuè.

An potuerint per eumdem Generalem reelegi, siuè deputari Definitores, siuè alij Officiales, qui in Capitulo, vt supra nullo declarato interuenerunt in casu &c.

Eme, & Rme Dne. Conuocato sub die 10. Aprilis proximè præteriti in Ciuitate Auersæ Capitulo Prouinciali Eremitarum Sancti Augustini, quod ex quinquaginta quatuor vocalibus erat compositum, fuit die immediatè sequenti videlicet 11. eiusdem mensis priùs ab omnibus reuerenter recognitus in Præsidentem Capituli Frater Nicolaus Gallani à Salerno, & posteà per secreta suffragia ad formam Constitutionum Ordinis fuerunt electi tres Iudices Causarum, in quibus ferè consenserunt omnes vocales, qui illo die interuenerunt, cum ex quadraginta, & vno Vocalibus, qui tunc interuenerunt: Duo primi Iudices habuerunt triginta quinque Vota, & Tertius habuit triginta quatuor, vt ex actis Capitularibus *Summ. num. 1. litt. A.*

Primum munus istorum Iudicum fuit recognoscere fides Superiorum omnium Conuentuum circà adimplementum Constitutionis san. mem. Innocentij XII. de Celebratione, & satisfactione Missarum, quæ à dictis Iudicibus fuerunt admissæ, & approbatæ tamquam legaliter factę iuxtà formam dictæ Constitutionis, vt dicitur in ijsdem actis Capitularibus *dicto Summario num. 1. litt. B.* exceptis duobus Prioribus, videlicet Patre Baccalauro Fratre Adeodato Orchi Priore Conuentus Sancti Augustini Neapolis, & Patre Baccalauro Fratre Nicolao Maria Magliano Neapolitano Priore Conuentus S. Mariæ in Terra Lauri, qui sunt duo Priores de Cetu Patrum Aduersariorum.

Terminato Consessu illius diei, qui fuit 11. dicti mensis Aprilis, successit dies electionis, qui erat dies Sabbathi 12. dicti mensis in

 quo

quo celebrata prius solemniter Missa de Spiritu Sancto accesserunt Patres ad electionem Prouincialis, & primò loco Pater Prouincialis absolutus Officium suum in manibus Reu. Patris Præsidentis humilitèr resignauit, qua resignatione admissa Secretarius Prouinciæ coram omnibus in pleno Capitulo recitauit nomina omnium vocalium distincto ordine, qui reperti sunt ascendere ad numerum quinquaginta quatuor, vt non controuertitur; aduersus quos nemo tunc reclamauit, adeoque Præsidens ad electionem Scrutatorum deueniebat, quando audita est vox Patris Magistri Bruni protestantis de nullitate electionis, ex quo exhibitæ non fuerant fides onerum Missarum aduersus quem Iudices Causarum statim insurrexerunt, = sunt verba actorum = *Tunc statim surrexerunt tres Iudices Causarum, & in medium porrexerunt coram toto Capitulo decretum ab ipsismet firmatum de accurata reuisione illarum fiduum, ac etiam ipsas fides in vnum adunatas, quod decretum fuit publicè coram omnibus lectum præsente etiam vno Notario Apostolico, cum duobus Testibus vocatis ab ipsismet Patribus instantibus suas instantias validantibus.*

Ad hæc igitur requisiti Patres instantias facientes noluerunt in pace assentiri, imò renuente Patre Præsidente, ac etiam remanendi constringente, & præceptante exierunt de Capitulo, vt ex *d. Summario litt. C.*

Discessis Perturbatoribus fuit communi omnium voto ad Prouincialatum assumptus Reuer. Pater Magister Frater Hyacintus Risi; qui tunc in Lombardia morabatur, atquè à primo Scrutatore dictus Prior Prouincialis fuit publicatus, *& successiuè* = sunt paritèr verba actorum = *processionaliter cum Cantu, & lætitia per Ciuitatem solemnizata ipsa Electio cum sonitu omnium Campanarum, vt dicto Summario numero* ., & deindè processum fuit ad electionem omnium aliorum Officialium, *vt dicto Summario litt. D.*

Prætendentes itaquè Patres protestantes dictas electiones fuisse nullas institerunt coram Reuerendissimo Patre Generali pro declaratione huiusmodi nullitatis, & obtinuerunt Sententiam fauorabilem, dum Reuerendissimus Pater Generalis ad sedanda Iurgia exorta inter Religiosos eodem tempore, & cassauit præcedentem electionem, & iuxtà facultatem sibi demandatam à Constitutionibus Ordinis deuenit ad nouam electionem omnium Officialium, sed summo iudicio, ac maxima prudentia in Priorem Prouincialem elegit eumdemmet Patrem Magistrum Risi, qui fuerat à Capitulo Prouinciali electus, & ad Dignitatem Definitorum, & Visitatorum assumpsit Patres graduatos de vna, & altera factione, adeoquè zelantissimi Superioris Partes omnes expleuit, prout videre est ex *Summ. num.* 2.

Quibus omnibus non contenti Patres Aduersarij ab eadem Sententia Reue-

Reuerendissi mi Patris Generalis appellarunt ab hanc Sacram Congregationem, cui appellationi adhærentes Prouincialis electus, & cæteri Proninciæ Patres instant, ab EE. VV. decerni, & declarari validam primam electionem, & quatenùs negatiuè, qnoad hanc primam dubij partem, credimus omninò affirmatiuè respondendum quoad secundam, & tertiam prout humilitèr Supplicamus.

Siquidem quatenus spectat ad validitatem Capituli Prouincialis sufficeret Patri Prouinciali, ac cæteris alijs Officialibus exhibere acta Capitularia ex quibus constat de eorum electione, quæ de Iure præsumitur valida, donec exaduerso plenè, & concludentèr probetur contrarium *Ioannes Andr. in cap. sicut num.11. versic. & hoc videtur de Sententia, & re Iudic. Egid. decis. 76. num. 5. versic. modò ità Sperell. decis. for. Eccles. 181. num. 33. Rot. decis. 289. à n. 25. cum seqq. par. 6. rec.*

Tantum enim abest, quod in nostra hypothesi Patres Aduersarij probent eorum intentum, quin potius pro hac parte contrarium manifestissimè ostenditur, dùm in hac electione non potest dubitari, nec de substantia consensus, nec de substantia formæ, quæ sunt requisita ad canonizandam electionem pro valida *Bald. in capit. quia propter num. 70., & sequent. de electione Rota coram Buratt. decis. 1. num. 70., & cor. Coccin. decis. 1326. num. 5.*

Substantia enim consensus deducitur ex præpollentia vocum etiam computatis Patribus protestantibus, nam Capitulum constabat ex quinquaginta quatuor Vocalibus, vt diximus, & ex istis quindecim se absentarunt, qui fuerunt dicti protestantes, vt ex ijsdem actis Capitularibus *dicto Summario num. 1. litt. C.* Sic in Capitulo remanserunt triginta nouem Vocales, & isti omnes vnico suffragio elegerunt nostrum Patrem Magistrum Risi dignissimum Præsulém, dum in corde omnium fuit, licèt tunc esset in Lombardia. Ex hoc enim emergit substantia consensus Capituli, dum etiam computatis Patribus Aduersarijs electio dignoscitur facta à maiori parte iuxtà *Textus expressos in cap. quia propter cap. Ecclesia vestra il 2., & cap. in Genesi de election. cap. cum in cunctis de his, quæ fiunt à maiori parte Capituli. Sigismundus à Bononia de election. dubitation. 36. num. 8. Lezzan. tit. 1. part. 1. capit. 15. num. 10., Mirand. in Manual. Prælator. Regular. tom. 2. quæst. 23. artic. 27. Rota coram Buratt. decis. 225. num. 2., & decis. 809. nu. 1. & coram Duran. decis. 232. num. 3., & coram Celso decis. 85. nu. 9., & in rec. decis. 400. num. 1. part. 16. decis. 169. num. 3., & decis. 171. num. 1. part. 19.*

Et proindè illi tamquam à maiori parte Canonicè electo denegari non poterat confirmatio à Reuerendissimo Patri Generali, cum actus confirmationis sit necessarium consequens ad validitatem electionis ad *Text. expressum in cap. postquam de election. vbi gloss.*

verbo impleantur, & *Abbas num.* 1. *Passerin. de election. capit.* 33. *quæst.*11. *num.*134. *cum sequent.*, *Lotter. de re benefic. lib.*1. *quæst.* 27. *num.*2. *Rota coram Gregor. decis.* 240. *num.* 12. *iuncto num.*17. & *coram Coccino decis.*2341. *num.*38. *cum sequent. in recent.decis.* 289. *num.*25., & *sequent.part.*6.,& *nouissimè in Adrien. Electionis, seù Canonicatus* 3. *Aprilis* 1699.*cor.R.P.D. Lancetta*.

Substantia verò formæ emergit ex ipsis actis Capitularibus ex quibus dignoscitur, quod in electione fuerunt adimpleta omnia solemnia, quæ de Iure ex Constitutionibus Ordinis requiruntur, quibus adimpletis electio dicitur Canonica, ad omnes Iuris effectus iuxtà præscripta à Sacro Concilio Tridentino in *sessione* 25. *cap.*7. *in fine de Regular.*, & *sanct. memor. Clemens VIII. in sua Constitutione de Reformation. Regular. num.* 36. *Barbos. in Vot. decision. Vot.*39. *num.*13. *Anton. à Spiritu Sancto direct. tractat.* 15. *disputat.* 2. *num.* 45., *Portell. dub. Regular. verb. electio num.* 65., *Passerin. de election. capit.* 9. *numero* 68., & *capitulo* 13. *numero* 20.

Nec obstat, quod contra formam Constitutionis fa: me: Innocentij XII. super celebratione Missarum in dicto Capitulo Prouinciali fuerunt scienter admissi multi superiores qui formam dictæ Bullæ non seruarunt, & proindè omnes vocales remanserunt absque voce dum scienter admiserunt inhabiles, quia vt funditus remoueatur hoc obiectum, in quo prætensio Aduersariorum fundatur, supplicantur EE. PP. benignè animaduertere, quod in Venerabili Religione Augustiniana adsunt Constitutiones particulares, quibus ordinatum est, vt quæstiones, quæ in Capitulis prouincialibus exoriri possent super pertinentia vocis actiuæ, vel passiuæ dirimantur per Iudices Causarum, qui in numero trium eligi debent in Capitulis prouincialibus antequam ad actum Electionis deueniatur, & istis Constitutio iniungit = sunt verba eiusdem *in part.* 3. *cap.* 9. §. 3. *num.* 1. ibi = *De habentibus vocem tàm actiuam, quàm passiuam omnem controuersiam dirimant*, & inferius *num.* 6. ibi = *si quis nouerit Causam propterquam vocem quis actiuam vel passiuam habere non debeat in Capitulo eam referat iudicibus Causarum; alias enìm sinè vitio pertransibunt omnes electiones, nec postquam electio Prioris Prouincialis cras incepta fuerit, alicuius super hac re proclamatio admittetur*.

Et hic est Casus noster, nam Iudices Causarum in pleno Capitulo Prouinciali Patribus vocalibus dixerunt ad formam Constitutionis fa: me: Innocentij XII. agnouisse fides omnium Conuentuum Prouinciæ, & reperijsse, fuisse adimpleta omnia præscripta ab eadem Constitutione, vt liquet ex actis Capitularibus ibi = *A quibus recognitæ fuerunt, & ab ijsdem cum speciali decreto approbatæ fuerunt fides in scriptis factæ, & firmatæ tàm à Priore cuiuscunque Conuentus, quàm à Sacerdotibus in ijsdem de familia degentibus, exceptis*

duobus

duobus Prioribus, videlicet Priore Conuentus Sancti Augustini Neapolis, & Priore Conuentus Sanctæ Mariæ Terræ Lauri; & isti sunt duo de Patribus reclamantibus qui in Capitulo non interuenerunt, vt ex lectura *dicti Summar. num.* 1. *litt. A. & B.*

Ecce igitur adimpleta forma Constitutionis, nam vocales, qui in electione Prouincialis, ac aliorum Officialium suffragia dederunt iustissimè, ac legitimè ad electionem processerunt, dum ex dicto decreto Iudicum Causarum ipsis constabat omnia præscripta à dicta Constitutione sa: me: Innocentij XII., fuisse adimpleta, quia ex Constitutionibus Ordinis istis data est facultas dirimendi omnes Controuersias, quæ exoriuntur circa vocis actiuæ, & passiuæ pertinentiam, iuxta clara verba mox recensita: Non enim dirimerent omnem Controuersiam, si in facultate Aduersariorum fuisset, illorum decreta ad libitum reijcere, seù contemnere.

Nec vrget prætensio Partis, quod fides exhibitæ coram Iudicibus Causarum erant falsæ, quia ad vocales, qui iam debebant illa die electionem facere, hoc non pertinebat cognoscere, nam tenebantur ad formam Constitutionis stare decreto Iudicum, signanter in illo Instanti celebrandi electionem, quæ dilationem, non admittebat, quo casu certum est non admitti huiusmodi appellationes, & cognitiones, vt benè aduertit *Cardinal. de Luca de Canonicis discursf.* 25. *num.* 6. cum hoc crimen Iudicum non à vocalibus, sed à Superiore Generali debebat recognosci, nam agebatur de falsitate, quæ in promptu liquidari non poterat, & proindè illius cognitio nequibat impedire imminentem electionem, vt ad propositum considerant *Castellin. de elect. Canon. cap.* 13. *num.* 20. & 21. *Sigismundus à Bononia eodem tractatu dub.* 91. *num.* 10.

Potissimè quia prima oppositio, quam Patres Aduersarij fecerunt, fuit, quod non aderant fides, quæ à toto Capitulo statim agnita fuit insubsistens, nam asserentibus Aduersarijs non adesse dictas fides, = statim = sunt verba actorum = *Surrexerunt tres Iudices Causarum, & in medium porrexerunt coram toto Capitulo decretum ab ipsis met firmatum de accurata reuisione illarum fiduum, ac etiam ipsas fides in vnum adunatas, quod decretum fuit publicè coram omnibus lectum præsente etiam vno Notario Apostolico, cum duobus Testibus vocatis ab ipsismet Patribus instantibus suas instantias validantibus* =, Vndè istis publicè conuictis de mendacio, quæ alia fides erat præstanda circa nouam exceptionem falsitatis, quam postea adinuenerunt, certè nulla ratio permittebat, vt excogitatus prætextus Aduersarijs suffragaretur ad effectum adimendi Prouinciæ Ius suum electionis, nam si tunc non fiebat electio, illa absque dubio deuoluebatur ad Superiorem: Ideoque vocales nullo modò debebant credere assertionibus Aduersariorum, dum prius negarunt fides adesse, postea conuicti dixerunt illas falsas, sed de omnibus istis nullum documentum afferebant, nec exhibebant;

bant; nam ista, quæ nunc afferunt fuerunt expiscata longè post celebratam electionem, sed solum in medium afferebant eorum assertiones, quasi quod licitum esset eodem tempore eisdem Personis, gerere Vicem Accusatorum, & gerere officium Testium contra notoria Iuris principia vetantia, vt eadem Persona faciat figuram Testis, & partis, de quibus *Textus in cap. Forus §. in omni de verborum signification. Capit. Accusatores 3. quæst. 5. speculat. in tit. de Teste §. 1. num. 89. versic. Item quod ipse est Testis, & Accusator Aufrer. de reprobat. Test. num. 5. Mascard. de probat. lib. 1. conclus. 26. num. 1., & libr. 3. conclus. 1357. num. 141.*, & latè *Farinacc. de Testibus quæst. 60. num. 64. & pluribus seqq.*

Maximè quia Patres Aduersarij hoc oretenus exposuerunt in ipso Instanti Electionis, quando ad formam constitutionis debebant saltem die præcedenti hoc deducere ad notitiam Patrum Vocalium, vt mandat Constitutio *in dicta part. 3. dicto capit. 9. dicto §. 3. num. 6. in fine* ibi = *Nec postquam electio Prioris Prouincialis cras incepta fuerit, alicuius super hac re proclamatio admittetur*.

Sicque inuanum Pars Aduersa prò annullanda electione nostri Patris Prouincialis recurrit ad Conclusionem, quod cùm Vocales admiserint scienter priuatos voce actiua, & passiua ceciderunt à Iure dandi suffragium, & propterea totum Ius consolidatum fuit in ipsis Patribus Aduersarijs, quia negamus absolutè suppositum, cum nostri Vocales non solum non admiserunt scienter Inhabiles, sed nullo modo admiserunt inhabiles.

Non admiserunt scienter, quia dato, quod essent inhabiles, dum Iudices, ad quorum Officium hoc spectabat in pleno Capitulo, Vocalibus attestati fuerunt, quod ipsi recognouerunt fides, & quod fuerant adimpleta omnia præscripta per Constitutionem Innocentianam, debebant vocales illorum decreto stare, & proindè dato per hypothesim, quod verè essent inhabiles; adhuc Vocales erant in bona fide, & bona fides deducitur ex dicta præcedenti declaratione, quæ exuberat ad effectum, vt nequeat annullari electio, sub prætextu, quod fuerunt admissi scienter inhabiles, vt egregiè *Sayr. de Censur. lib. 2. cap. 2. sub num. 10. versic. sicut etiam Suar. eodem tractat. disput. 4. sect. 7. sub num. 16. versic. & ratione Passerin. de elect. cap. 25. sub num. 457. il primo vers. talis tamen electio Card. de Luca de regular. discurs. 3. sub num. 7. versic. quamuis etenim*: Et ratio Conclusionis est, quia stante dicta præcedenti declaratione non potest dici, Vocales in fraudem seù contemptum Constitutionis admisisse scienter inhabiles, prout ad propositum videre est *in cap. per tuas 40. versic. verum in alijs ibique gloss. verb. contemnere de Sentent. excommun. eadem gloss. in capit. 1. vers. non contemnat eodem titulo in 6. Abbas in cap. cum contingat sub num. 2. ibique Adden. litt. B. de offic. Delegat. Sayr. de Censu-*

ris

ris lib. 1. *cap.* 17. *num.* 19. *in fine Suar. eodem tractat. disput.* 4. *section.* 7. *num.* 17.

Certiſſimè, & abſque vlla difficultate in caſu noſtro ſpernenda erat dicta proteſtatio, & appellatio facta à Patribus Aduerſarijs; Tum ex eo quia tanquam extraiudicialis non ligabat manus vocalium, quo minus ad peragendam electionem procedere non poſſent. *Cap. Conſtitutis* 23. *in fine vbi Innoc. ſub num.* 3. *verſ. ſi autem appellatio de appellation. Gonzal. ſuper regul.* 8. *in annotat. contra nullitat. num.* 27. *& ſeqq. Lancellot. de attentat. part.* 2. *cap.* 12. *limit.* 5. *num.* 4. *& ſeqq. Rota coram Buratt. deciſ.* 859. *num.* 1. *& deciſ.* 771. *ſub num.* 4. *& coram Alexandr. VIII. deciſ.* 233. *n.* 4. *& ſeqq.*

Tum etiam quia in appellando, formam à Sacris Canonibus præſcriptam non ſeruarunt, dum omiſerunt iurare, quod crederent obiecta eſſe vera, quod iuramentum erat ſpecificè præſtandum ſuper Sancta Dei Euangelia, alias illo non præſtito, appellatio prorſus remanſit nullius roboris, & efficaciæ, vt dicit *Textus expreſſus in cap. ſtatuitur, in cap. vt circa* 4. *cap.* 15. *qui contra* 20. *cap. indemnitatis* 43. §. *porrò de Election. in* 6. *Bordon. tom.* 3. *moral. reſol.* 71. *num.* 29. *&* 30. *Donat. de regular. tom.* 2. *tractat.* 4. *quæſt.* 32. *num.* 3. *Paſſerin. de elect. cap.* 32. *num.* 54. *Lauor. eodem tract. titul.* 4. *cap.* 19. *num.* 26. *Barboſ. Vot. deciſ.* 106. *num.* 97. *cum ſeqq. lib.* 3., & ex profeſsò firmauit *Rota deciſ.* 2088. *num.* 37. *cum ſeqq. coram Coccino, & ſignanter num.* 42. ibi = *Itaut alias ſit deneganda audientia, & non ſufficiat, ſi opponens iuret, quod illa quæ in appellatione expreſſit, vel ea, quæ de expreſſis deberent ſufficere vera eſſe credebat, & ſe poſſe probare cum ſimpliciter non Iurauerit, vt diſponitur in dicto Capit. vt circa &c. repetita in recentior. in deciſ.* 289. *num.* 42. *cum ſequentibus part.* 6.

Nec obſtat quod Patres Aduerſarij intantum hoc non fecerunt coram Iudicibus Cauſarum quia ipſi non erant Iudices Competentes in hac Cauſa, dum in Cauſis grauioribus Conſtitutio mandat, vt illæ decidantur à Definitorio Prouinciæ ad quod dicunt ſpectare Ius cognoſcendi Cauſas grauiores innixi verbis eiuſdem Conſtitutionis *in dicta* 3. *parte cap.* 9. §. 3. *num.* 2. vbi loquendo de Iudicibus Cauſarum *num.* 2. hæc verba addit -- ibi -- *Hi tres Cauſas omnes tàm fratrum, quàm ſecularium cum fratribus audientes, aliaque negotia, ſique ſibi à Definitorio commiſſa fuerint diſcutientes ea, quæ grauiora fuerint, Diffinitorio referant ipſi tantum leuiora iudicantes, ac determinantes, ſola rei veritate inſpecta.*

Quoniam prætermiſſa reſponſione, quod hæc exceptio fuit reiecta à Præſidente Capituli, qui eiſdem Patribus Aduerſarijs replicauit huiuſmodi cognitionem ſpectare ad Iudices Cauſarum, vt *Summ. Num.* 3. Exuberat reſponſio facti, quod nempè Patres Aduerſarij non legerunt totam illam Conſtitutionem, dum ſi illam legiſſent,

 agno-

agnouissent; quod omne id, quod concernit priuationem vocis actiuæ, & passiuæ cognosci debet à Iudicibus Causarum, & non à Diffinitorio prout videre est ex eadem Constitutione eadem parte, & eodem §. *num.6.* = *Deindè Pater Præsidens dicat alta, & intelligibili voce* = *Si quis nouerit Causam propter quam vocem quis actiuam, vel passiuam habere non debeat in præsenti Capitulo eam referat Iudicibus Causarum aliàs enim sinè vitio pertransibunt omnes electiones, nec postquam electio Prioris Prouincialis cras incepta fuerit, alicuius super hac re proclamatio admittetur.*

Hæc verba sunt clara, & demonstrant Ius de hoc cognoscendi spectare ad Iudices Causarum, vndè ad quid deseruiunt illa argumenta exaduerso in medium adducenda, quod nempè Ius cognoscendi an aliqui Vocales sint priuati voce actiua, & passiua debet connumerari inter grauissima negotia, cum in Religiosis hoc sit maximum Ius, & proindè Diffinitorium, quod debet cognoscere de grauissimis negotijs debet pariter cognoscere de priuatione vocis actiuæ, & passiuæ; quia istæ subtilitates, & argumenta non admittuntur contra expressa verba Constitutionis, & cum Constitutio litteraliter dicat, quod Ius cognoscendi de priuatione vocis actiuæ, & passiuæ spectat ad Iudices Causarum, nescimus quid quærant Aduersarij, cum in Iure nostro ad argumenta, & coniecturas non recurramus, quando adsunt clara verba in contrarium ad notissimum *Text.in leg.ille aut ille ff.de legat.2.*

Hinc proindè verba Constitutionis de quibus *num.2.* & verba eiusdem de quibus *num.6.* non sunt, nec possunt dici contraria, cum singula singulis referendo habeamus congruam illorum interpretationem, dum in *num.2.* loquitur de negotijs graioribus, quæ occurrere possunt inter ipsos Religiosos, & inter Religiosos, & Sæculares; in *num.verò 6.* loquitur solummodò de voce actiua, & pactiua, non ad effectum, vt Iudices priuent, vel non priuent, sed ad effectum, vt declarent an sint prieati, in quo propriè consistit Officium Iudicis, vndè meritò Constitutiones huiusmodi cognitionem remiserunt ad solos Iudices controuersiarum; Neque aliter dici potest, cum admitti non debeat absurdus intellectus, per quem vna pars Constitutionis aliam destruat, & infringat contra dispositionem *Textus in leg.non ad eam ff.de condit.& demonstrat.* & *Rota decis.128. num.12.par.16.* & *decis.390.num.8. par.18.* & *decis.303.num.13.par.19.recen.*

Maximè quia ad effugiendum contradictionis inuolucrum quælibet capi debet interpretatio etiam à litterali verborum sensu abhorrens, iuxtà tradita per *Manticam de Coniecturis vltimar. volunt. libr.3. Actolin. resolul.82. num.20.* & *dixit Rota in Lauretana Canonicatus 13. Februarij 1693. §.Si quidem coram Reuer. P. D. Vrsino.*

Nec refragatur, quod dicti Iudices essent diffidentes tanquam suspe-

ſpecti, ex quo agebatur etiam de facto, & intereſſe ipſos tangente, quia cum fuerint in electioue reputati habiles, & fide digni, etiam ab ipſiſmet Aduerſarijs, qui in eorum electione interuenerunt non poteſt ampliùs de eorum fide dubitari, ſed illis ratione commiſſi Officij erat plenè credendum *Lauor. cariar. elucubrat. tit.*4. *cap.*19. *num.*110. cum alijs relatis *per Pignatell. conſult.*22. *num.*4.*tom.*10.

Vltraquamquod, & hæc exceptio fuiſſet etiam ab Aduerſarijs propoſita contra Definitorium, quia multi ex iſtis poterant dici pariter ſuſpecti, ex quo debebant ſimiliter exhibere dictas fides, & ità ad eorum libitum cum hac exceptione potuiſſent adimere Comitijs Prouincialibus Ius eligendi Prouincialem quod eſſet abſurdum, quo nihil abſurdius.

Hactenus adnotata ſufficerent prò demonſtrando, quod Patres Vocales non admiſerunt ſcienter inhabiles, dum ſtare debebant decreto trium Iudicum Cauſarum, verum, & vt clarius comprobetur inſubſiſtentia huiuſmodi erronei præſuppoſiti negamus conſtanter, quod in Capitulo aderant vocales priuati voce actiua, & paſſiua ob non adimpletum decretum de celebratione Miſſarum ſiquidē, vel Patres Aduerſarij dicunt, quod in omnibus Conuentibus Prouinciæ, qui ſunt 26. non fuerunt ſatisfacta omnia onera Miſſarum, tam perpetuarum, quam quotidianarum, vel dicunt, quod fides non fuerunt ſubſcriptæ ab omnibus Sacerdotibus, quæ eſt extrinſeca ſolemnitas præſcripta à Conſtitutione Innocentiana.

Primò caſu certum eſt eorum dictum nullo veritatis adminiculo fulciri, quia ſine dubio omnia onera Miſſarum fuerunt punctualiter adimpleta, & hoc cum tanta ſinceritate, vt in Conuentu Beneuenti, qui ob ruinas Terremotus remanſit cum duobus Fratribus, onus celebrationis Miſſarum fuit per Patrem Prouincialem in ſua Viſitatione translatum in alios Conuentus eiuſdem Prouinciæ, à quibus habita eſt atteſtatio integri implementi, vt ex *Summ. Num.*4. Et proindè in hac materia, quæ non eſt de genere malorum habemus regulam quod quando finis, & cauſa motiua Conſtitution is non fuit violata, quamuis appareat inuoluntariè tranſgreſſa aliqua ſolemnitas non propter ſe ordinata, ſed ad euitandum aliquod malum, vtique tranſgreſſor nulla pœua eſt puniendus iuxta originalem theoricam *Abbbat. Panor. in cap. quoniam num.6. de probation.* ibi = *Nota quod quando Conſtitutio continet aliquid non propter ſe principaliter, ſed ad finem alicuius mali euitandi tranſgreſſores non illaqueat ad pœnam ſi finis ad quem principaliter tendit Conſtitutio non violetur*, quod pariter nemine allegato firmat *Cardinal. de Luca de Benefic. diſcurſ.*76. *num.*21. ibi = *potiſſimè vbi non agitur de noua lege aggrauante pœnam in ijs, quæ ſunt de genere malorum, ac naturaliter mala, ſeù penalia, ſed agitur de his,*

quæ

quæ per nouam legem, eiusque prohibitionem efficiuntur mala, naturaliter autem non sunt talia.

Quod nos non dicimus ad effectum excusandi transgressores Constitutionis Innocentianæ, sed ad effectum ostendendi Patrum Aduersariorum tergiuersationes, nàm quamuis ipsi certò scirent, quod omnia onera in singulis Conuentibus fuerunt punctualiter adimpleta, attamen hunc, & illum prætextum reperiebant ad effectum impediendi celebrationem Electionis; sed in vanum nam vt diximus, & onera fuerunt adimpleta, & solemnitates pariter fuerunt seruatæ, ideoque reassumendo nostrum Ordinem dicimus, quod assertio Aduersariorum, nec minus secundo casu subsistit: Scilicet, quod illi Superiores locales erant priuati voce actiua, & passiua ex quo fides non fuerunt subscriptæ ab omnibus Sacerdotibus localibus.

Nam ex lectura fiduum, seù attestationum constat de illarum subscriptione facta ab omnibus Sacerdotibus singulorum Conuentuum, prout constitutio mandat, & patet ex illarum visura, & licet illa Conuentus Ischiæ non fuerit ab omnibus Sacerdotibus subscripta, hoc tamen non est adscribendum culpæ Superioris, cum in facto habeamus, quod Prior Ischiæ prò satisfaciendo suo muneri ad præscriptum dictæ Constitutionis Innocentianæ conuocauit Capitulum, ad effectum, vt omnes Sacerdotes subscriberent fidem satisfactionis onerum Missarum, prout fuit subscripta ab omnibus, exceptis duobus, qui noluerunt in Capitulo interuenire, & dictam fidem noluerunt subscribere, vt ex *dicto Summar. Num.*5. istorum enim peruicacia Priori non poterat adimere Ius suum votandi, cum ex tabella constabat, quod omnia onera erant adimpleta, vt *dicto Summ.Num.*5. Alias enim actum esset de Prioribus, si in potestate duorum, vel trium esset adimere illis Ius votandi, quia in potestate vnius esset illis inferre iniquam conditionem contra *Text.in cap.non debet de regulis iuris in 6.*

Imò dum ad hunc effectum Prior Capitulum conuocauit, & isti duo noluerunt ad Capitulum accedere, fides exhibita à Priore dicitur subscripta ab omnibus, cum isti duo per voluntariam abstinentiam fecerunt se extorres, perindè ac si nòn fuissent in Conuentu, & proindè ab omnibus dicitur subscripta fides, dum fuit subscripta ab omnibus illis, qui in Capitulo interuenerunt iuxta regulam in praxi, & Theorica quotidiè probatam, de qua *Glossa in cap. gratum de postulat. Prælat. Abbas in cap. in causis num.*9. *de elect. Passerin. eodem tractat. cap.*11. *num.*93. *circa finem Barbos. de Iur. Eccles. lib.*1. *cap.*19. *num.*98. *& Rota decis.*1050.*num.*5.*coram Serapihn.*

Descendendo itaque ad particularia habemus in processu omnes fides Conuentuum Prouinciæ subscriptas ab omnibus Sacerdotibus, & incipiendo à Conuentu Ciuitatis Auersæ, vbi fuit factum Ca-

Capitulum Prouinciale, prò isto fuit exhibita fides celebrationis Missarum subscripta à Priore, & alijs quatuor Sacerdotibus, de qua in nostro Processu fol. 11., quæ aduersò criticatur, ex quo ibi non fuit retenta Capsula Eleemosynarum manualium ex solo dicto Fratris Gulielmi de Malta, de quo in contrario Processu fol. 9. hic Testis quantum possit probare contrà probationem quinque aliorum Testium in dicta fide subscriptorum, qui contrarium deponunt, vt ibi = *di hauer sodisfatte tutte le* Messe *tanto di oblighi, quanto manuali &c.* relinquitur sagacissimo Iudicio EE. VV. nam vltra quod est vnicus, & singularis non repetitus, nec parte citata examinatus nimis affectatè deponit, notando Prouincialem absolutum negligentiæ, & auaritiæ vitio ibi = *Non hà rimediato &c. mà hà bene inuigilato à riscuotere buone somme di Elemosine &c.* Testis enim affectatè deponens nihil probat *Farinac. de Testibus quæstion.59.num.53.& seqq.*

Transeundo ad Conuentum Salerni, prò quo fuit deducta fides celebrationis Missarum subscripta à Priore, & alijs Patribus dicti Conuentus, prout in dicto nostro Processu fol.20. obijcitur, quod dicta fides non fuit facta Salerni, sed Auersæ; & ad probandam huiusmodi exceptionem exaduerso affertur primo loco fides Fratris Saluatoris Celia Magistri Studij dicti Conuentus, qui id supponit, ex quo ipse fuit requisitus Auersæ prò subscriptione dictæ fidei, sed vltra quod ex hac requisitione non poteſt dici probatum, quod fides non fuerit facta Salerni iste Testis animosè testatur dictam fidem non fuisse subscriptam nisi à Patre Priore, & Patre Nicolao Gallani de Salerno ibi = *Sò benissimo, che detta fede non era firmata da altri, se non che dal Padre Priore, e dal Baccelliere Frà Nicola Gallani senza altra sottoscrittione*, prout in contrario Processu fol.10. à tergo quando ex inspectione dictæ fidei, vt supra datæ in nostro Processu fol.20. apparet contrarium, cum sit subscripta ab alijs pluribus Patribus ideoque Testis, qui conuincitur à scripturis contrarium demonstrantibus nihil probat *Rota coram* Merlino *decis.70.num.11.& 12.*

Secundò exaduersò affertur fides Patris Baccalauri Francisci Siluestri Ciuchi, & hic etiam Testis vltrà quod non deponit de certa scientia, quod fides facta fuerit Auersæ; sed tamen dicit de Iudicio suo fuisse subscriptam Auersæ, vt in dicto contrario Processu *fol. 11. à tergo*, ibi = *E tiene per certo, che molti Padri habbino sottoscritta detta fede in questa Città d' Auersa &c.* nedùm non probat, quia deponit de Iudicio suo, *Rot. coram Coccin. decis.*1882. *num.* 10., etiam, quod dicat se prò certo credere, *Farinac. de Testibus quæstion. 68. num. 66.* cum sit vnus de illis, qui sese rebellarunt à Capitulo, & nullitatem prætendit, vt apparet in nostro Processu fol. 4. videtur deponere in Causa in qua est interessatus, & prosequitur vtì propriam, & ideò in illa Testis esse non po-

poteſt ; Iura ſunt aperta in *l. nullus, ff. de Teſtibus* relat. *per Farinacc. de Teſtibus quæſt. 60. num. 2. & ſeqq.*

Deſcendendo poſteà ad fidem exhibitam prò Conuentu Iſchiæ, de quo in noſtro Proceſſu fol. 17. ſubſcriptam a tribus Sacerdotibus nihil contra illam probare poteſt declaratio facta, à Baccalaureo Conteſſa non fuiſſe factam Iſchiæ, nec retentam Capſulam eleemoſynarum, vt in contrario Proceſſu fol. 13., quia magis credendũ eſt tribus Sacerdotibus, qui atteſtarunt veritatẽ fidei, iuxtà illud in ore duorum, vel trium ſtat omne verbũ, quam vnico Teſti, quia dictũ vnius eſt dictũ nullius, & magis creditur duobus Teſtibus affirmantibus, quàm mille negantibus ex ſuprà firmatis. Et licet iſta fides non fuerit ſubſcripta à dictis duobus Sacerdotibus, tamen iſtorum contumacia non ſuffragatur ad effectum, vt dici poſſit non fuiſſe ſeruatam Conſtitutionem Innocentianam, vt ſuprà diximus in §. *Nam ex lectura fiduum*.

Idem eſt reſpectù exceptionis datæ fidei celebrationis Miſſarum in Conuentu Nolæ in noſtro Proceſſu telat. fol. 16. ſubſcriptæ à tribus eiuſdem Conuentus Sacerdotibus, mediante atteſtatione Patris Auguſtini della Candida, qui conatur deponere ipſum non fuiſſe requiſitum prò ſubſcribenda dicta fide, vt in contrario Proceſſu fol. 15. quia vltrà quod contra hanc fidem inſurgit præſumptio ſubornationis tanquam procurata poſt dimiſſum Capitulum recurrunt ſuperiùs firmata circa fidem Iſchiæ, quod magis credatur tribus, quam vni ex vulgatis.

Vlteriùs conſiderata fide Baccalauri Arboretæ, qui deponere conatur in contrario Proceſſu fol. 17. & 18. non fuiſſe factam fidem celebrationis Miſſarum Conuentus Gragnani, nec retenta Capſula, ſicutì quoad fidem conuincitur de falſo ex illius exhibitione apparente in noſtro Proceſſu fol. 15. ſubſcripta à quatuor Sacerdotibus dicti Conuentus, ita conuincitur de falſo, quoad retentionem Capſulæ, quia falſus in vno eſt falſus in omnibus, ratione vnitatis Iuramenti, *Farinacc. conſ. 78. num. 19.*

Eiuſdem farinæ eſt alia atteſtatio facta à Patre Baccalauro de Paſchaſijs, quod fides celebrationis Miſſarum Conuentus Venafri relata in noſtro Proceſſu fol. 14. fuit facta in Ciuitate Auerſæ, & quod fuerit ſubſcripta ab eodem Patre Priore, & dicto Baccalauro Paſcaſio abſque tamen alia Patrum ſubſcriptione, vt in contrario Proceſſu fol. 21., quia ex inſpectione dictæ fidei Baccalaurus conuincitur de falſo, dum fides apparet ſubſcripta à quatuor Patribus, vt in dicto Proceſſu fol. 14., & hic pariter deponit de Iudicio ſuo, vtpotè vnus ex illis, qui rebellarunt à Capitulo, & nullitatem prætendit.

Secundò, atteſtationi factæ à Patre Nicolao Forte exaduersò datæ in contrario Proceſſu fol. 24., quod ipſe non fuerit requiſitus in ſubſcriptione fidei Conuentus Montorij per nos data in noſtro

Pro-

Processu fol. 18. patet responsio ex illius lectura, in qua cum dictus Testis fateatur fuisse absentem per totum Mensem Martij, non potuit requiri, & quod res sic se habeat patet ex attestatione Reuerendorum Patrum totiùs Conuentus Solofræ relata in nostro Processu fol. 39., vbi apparet, quod à Conuentu Montorij fuerat collocatus de familia in Conuentu Solofræ vsque à Mensæ Februarij antecedentis, ideòque tanquam mendax à testificando repellitur, vt probat *Rota coram Coccino decis. 1369. num.* 75., & alibi passim.

Et tertiò, quod non fuerit practicata Capsula in Conuentu Auellini, & Basilicæ, vt conatur de vna deponere Pater Casimirus, & de alia Pater Attardus, nam cum omnes sint Testes singulares nihil probant, imò depositio contra Priorem Conuentus Basilicæ, nullatenùs est attendenda, cum prædictus Conuentus subiaceat Visitationi Eminentissimi Vrsini, cuius zelus vllum relinquit dubitandi locum de obseruantia Innocentiani Decreti.

Nec tandem aliquid operatur prætensa deficientia integræ satisfactionis Missarum Conuentus Beneuenti, de qua facta fuit fides, quia huic obiectioni satìs responsum fuit superiùs in §. *Primo casu certum est*, quod nempè Pater Prouincialis agnoscens in Visitatione, quod propter ruinam Conuentus non poterant ibi commorari plùs quam duo Sacerdotes à quibus non potuissent adimpleri omnia onera Missarum præcepit alijs Conuentibus Prouinciæ, vt illa adimplerent, prout adimpleta fuerunt, *vt dicto Summario Num.* 4.

Hinc detegitur erroneitas attestationis Patris Pancioni, qui in sua aritmetrica depositione contrarium probare nititur, quod nempè non potuerint illi Patres remansi inter ruinas terremotus satisfacere illis obligationibus, quas habebat Conuentus, nam vt diximus, omnia onera Missarum istius Conuentus non fuerunt solùm satisfacta ab illis Patribus, qui in dicto Conuentu remanserunt, sed etiam fuerunt satisfacta in alijs Conuentibus Prouinciæ, *vt dicto Summ. Num.*4.

Cæterùm nullius momenti est opposita exceptio falsitatis, quod nempè omnes dictæ fides deteguntur falsæ, ex quo ab vnico Notario eodem die fuerunt omnes factæ in Ciuitate Auersæ, quod erat impossibile, nam eodem tempore dictus Notarius non poterat esse in tot locis, in quibus dictæ fides subscriptæ fuerunt; nam ista est mera fallacia contrariæ Partis, quia dictus Notarius non testatur de tempore, & loco subscriptionis, sed tantùm testatur illas subscriptiones esse manu, & caracthere scribentium, *vt in Summario Num. 6.* non enim repugnat, quod scriptura facta Neapoli non possit ea posteà recognosci Romæ; Ideòque friuolè allegatur falsitas, vbi falsitatis suspicio non intrat ex suprà firmatis, nam dictæ fides absque etiam dicta Notarij recognitione de per se

pro-

probant, cum Innocentiana Constitutio legalitatem, seu recognitionem Notarij non requirat, dum contentatur simplici subscriptione Patrum localium, vt ibi = *Et insuper teneantur omnes, & singuli Superiores Vocales in Prouincialibus Capitulis, seu Congregationibus exhibere attestationem, seu fidem ab omnibus Sacerdotibus Conuentus &c. subscriptam, & iuratam, quod omnibus, & singulis tùm perpetuis, tùm manualibus Missarum oneribus, seu obligationibus ad limites, & tenorem præsentium Decretorum tempore eorum recognitionis fuerit omninò, & integraliter satisfactum.*

Vindicata validitate nostri Capituli ab obiecta nullitate, quod nempè Vocales scienter inhabiles admiserint, firma remanet electio nostri Patris Prouincialis, ac omnium Officialium in illo facta, cum etiam in dubio semper prò validitate electionis, pronunciandum sit, prout monent Canonistæ *in cap. licet Episcopus* 28., & signanter *Cap. Abb. num. 3. & seq.*, *Geminian. num.* 12. *de præbendis in 6.*, *Ioann. Andr. in cap. sicut* 16. *num.* 11. *de sentent.*, *& re iudic.*, *Cardinal. de Luca de Regular. discurs.* 11. *num.* 11., *Sperell. decis.* 181. *num.* 33., *Rota coram Coccino decis.* 2341. *nu.* 38. *& 39. coram Celso decis.* 58. *num.* 2. *& 3. in Recentior. decis.* 289. *num.* 25. *& seq. part. 6. decis.* 400. *num. primo part.* 16., *& in Leodien. Præpositura 3. Martij* 1684. *post princip. coram bon. mem. Albergato.*

At dato etiam per malam hypothesim, quod electio fuisset nulla, prout nulla fuit à Reuerendissimo Patri Generali declarata; adhuc certum est, quod in hoc casu Ius eligendi Prouincialem, & Superiores Prouinciæ erat deuolutum ad eumdem Reuerendissimum Patrem Genaralem, ad quem ijdem Patres Aduersarij appellarunt, & sic respectù secundi dubij nulla cadit dubitatio prò resolutione affirmatiua cum clara sit Constitutio Ordinis tribuentis in hoc casu Patri Generali facultatem eligendi Prouincialem, ac omnes Officiales Prouinciæ, prout legitur *in part. 3. cap.* 11. §. 4. *num.* 2. ibi = *Quod si occurrat aliquas electiones, siue Prouincialium, siue Priorum, siue Officialium respectiuè à Reuerendissimo Patre Generali legitimè annullari, eo tunc in eius potestate esse, nouos Superiores, & Officiales subrogare Iure sibi deuoluto, prout declaratum fuit in duobus Capitulis Generalibus Romæ celebratis anno* 1679. *&* 1685. *quæ sunt verba litteralia non indigentia, nec glossa, nec Doctoribus.*

Hinc non obstat, quod stante dicta nullitate Capituli, ex quo Vocales admiserunt scienter inhabiles, Ius faciendi electionem consolidatum remansit in Personas Aduersariorum, qui debent dictam electionem facere; Quia hoc augumentum detegitur penitùs insubsistens ex duabus præualidis rationibus: Primò scilicèt est falsum in præsuppositio, quia vt diximus non subsistit, quod Vocales admiserunt scienter inhabiles: Secundò verò corruit in fa-

facto, quia Aduersarij non deuenerunt ad aliquam electionem; quo casu possunt in medium allegari illæ authoritates exaduersò forsàn cumulandæ, quod nempè totum Ius electionis consolidatum erat in Aduersarijs, quia hoc verum si ipsi eligissent in ipsa die Sabbathi, quæ iuxtà Constitutionem Ordinis, & legem publicatam in Capitulo erat dies præfixa ad electionem, in quibus terminis loquuntur doctrinæ exaduersò allegandæ; Secùs verò dùm non elegerunt, sed solummodò de nullitate dixerunt appellando ad Patrem Generalem, hoc enim casu intrat clara Constitutio Ordinis tribuentis Generali hanc facultatem eligendi, casu quo Prior electio sit nulla, & in terminis terminantibus est *Glossa* magistralis ex gratia videñ. *in capit. quamquam il* 18. *de electione in* 6. *in verbo deuoluetur in fine*, vbi quod hoc casu Vocales, qui prætendunt totum Ius esse in ipsis consolidatum debent deuenire ad electionem, aliàs Ius deuoluitur ad Superiorem, *Lauor. var. tit.* 4. *cap*, 21, *num.* 84., vbi quod electio deuoluitur ad Superiorem, quando Vocales, apud quos Ius consolidatum est intra tempus præfixum non deuenerunt ad electionem, *Peirin. de subdit. Religios. tom. primo cap.* 31. §. 6. *versic. quod intellige*.

Deniquè respectù tertij dubij controuersia est de indubitabili; nam certum est, quod noster Pater Prouincialis nullo crimine est illaqueatus, dum ipse erat absens à Capitulo, & contra cœteros Officiales, qui Capitulo interuenerunt, licet per hypothesim dicamus, quod in illis Comitijs illorum electio remansit nulla ob admissionem inhabilium, per quam prò illa electione remanserunt priuati voce actiua, & passiua, adhùc non per hoc remanserunt priuati voce actiua, & passiua in posterùm; quia hæc pœna à Canone infligitur prò illa vice tantùm, non verò prò alijs successiuis functionibus, vt in puncto *Rota in Leodien. Abbatiæ 6. Martij* 1679. §. *final. coram bon. memor. Rondinino*, *confirmata coram clar. memor. Cardinali Matthæio* 11. *Decembris* 1679. §. *fin.* ibi = *Cœterùm multò minùs attendi debet obiectum factum, quod Philippus redditus fuerit inhabilis, ex quo alias postulauit ad hanc eamdem Abbatiam indignum, quia ex tali postulatione, quatenùs verè adsit, non verò infertur ad incapacitatem perpetuè postulantis, sed solùm pro illa vice, = ex Glossa in capit. primo verbo priuare de postulat. prælat.* Nec Constitutio Innocentiana de hoc casu loquitur, dùm solùm priuat illos Superiores, qui solemnitates præscriptas non adimpleuerunt, prout patet ex illius lectura.

Hoc posito certissima est Iuris conclusio, quod omnis electus potest denuò eligi, quando electio non annullatur ob vitium Personæ, videlicèt, quod sit Persona ineligibilis, vel ratione criminis, vel quia est perpetuò priuata voce actiua, & passiua, iuxtà *Textum* expressum *in cap. super eo* 12. *de electioue*, ibi = *Super eo vero, quod quærere voluisti, si alicuius electione cassata idem ad alterius*

Ec-

Ecclesiæ Regimen electus fuerit, an eius electio debeat confirmari, hanc tuam volumus discretionem tenere, quod si prior electio non vitio Personæ, sed modo electionis cassatur promotionem eius in eadem Ecclesia non debeat impedire, ibiquè notant Canonistæ omnes, & signantèr *Ançaran. num. primo, & 8., & in cap. Consideraimus sub nu. 2. & 3. post medium eodem titul., Abbas num. primo, Bald. num. primo, Bellamer. num. 23., Boiç. num. primo, & seqq., Gonzal. num. 2. & seqq., & cap. Consideraimus 10. num. 2. eodem titul., Ioannes de Imola num. primo, & seq., Ioann. Andreas numer. primo, & seq., Zabarell. num. 2. & seqq., Barbos. num. primo, & Vot. decisiu. 35. num. 21., & vot. 39. num. 54., Castellin. de elect. cap. 4. num. 30., & num. 59. in fin., & cap. 14. num. 56. versicul. potest, Murga ad Constitution. Apostolic. Constit. 6. & 2., Alexand. IV. num. 760. in fine, & num. 1146. in fin., Cardinalis de Luca de Regular. discurs. primo num. 140., Passerin. de Election. cap. 25. num. 630., Lezzan. in Summ. quæst. Regular. verbo Electio inter Regulares sub num. 230. versicul. vbicunque electio.* Quarè &c.

Franciscus de Roggerijs Aduoc.

Simeon Mancinus.

SACRA CONGREGATIONE
Episcoporum, & Regularium

Siuè
Eminentiss., & Reuerendiss. D. Card.
GABRIELLIO
PONENTE

Neapolitana, seù Prouinciæ Terræ
Laboris Electionis.

PRO

Prouinciali, & Patribus d. Prouinciæ
CONTRA
PP. num. 16. eiusdem Prouinciæ.

Restrictus Facti, & Iuris.

Romæ, Typis Reu. Cam. Apost. 1704
Superiorum permissu.